

כ"ט  
DISSERTATIO ACADEMICA PRIOR  
DE  
**MORALITATE**  
**AFFECTUUM,**

QUAM  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE  
CONSENTIENTE,  
IN ACADEMIA LIPSIENSI  
CELEBERRIMA,

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

*AD DIEM XII. APRILIS MDCCX.*

submittent

PRÆSES

**M. MICHAEL Ehrenfried Krause**

Neost. Misn.

S.S. THEOL. CULTOR.

&

RESPONDENS

**SIGISMUNDUS GRIMMER, Mariæb. Misn.**

PHILOS. & THEOL. CULT.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ, LITERIS RUMPFIANIS.

17

a. L. XV. 26.

Coll. diss. A  
65, 26

VIRIS

Prænobilissimis, Amplissimis, Præclarissimis, Doctissimis  
DN.

DN.M.GODOFREDO HOFFMANNO,  
Gymnasii Zittaviensis Rectori celeberrimo,

Ut &

DN.M. JOH. PAULO GUMPRECHTO,  
Lycei Laubanensis Rectori meritissimo,

Nec non

DN.M.GODOFREDO BOETTNERO,  
ejusdem Lycei Con-Rectori longe dignissimo,

Viris de re literaria & Studiosa Juventate præclare meritis  
& adhuc merentibus

Patronis suis, Fautoribus atque quondam  
Præceptoribus faventissimis atque  
fidelissimis,

HOC GRATI ANIMI MONUMENTUM

cum melius non suppetat,

*Erigere, seque ulteriori Patrocinio atque Benevolentia commendare  
voluit atque debuit*

PRÆSES.





## Præfatio.



Inter alia documenta, quæ hominis dignitatem atque præstantiam tuentur egregie, illud non ultimum esse deprehenditur, quod, cum animalia reliqua motus suos cum sensu aut directo solum aut distincte parum reflexo exerant; homo in contrarium abiens eosdem, si partium suarum satagere velit, exquisite expromere, tempestive suspendere, frænoque quasi injecto compescere valeat. Ea enim est virtus menti nostræ propria, ut non res tantum sibi externe circumpositas contempletur, sed & reflectendo in semet descendere noscat, quo motuum, qui cientur interne, conscia tranquillitatem adversus importunam sensuum vehementiam rite possit asserere. Hoc saltem dolendum est quam maxime, plurimis Mortalium eam hæere labem, ut nescio ex quo horrore eorum, quæ sub pectore condunt, foras profiliant, sibi que ab externis diverticulis imaginariam quærant quietem, minusque duraturam.

A 2

Quod

Quod quidem mirum nobis adeo videri non debet, cum intimum sui scrutinium illis, qui vel aliis jam immerfi sunt, vel ægræ mentis ulcera verentur tangere, non possit non esse molestissimum. a) Illud nos forte pejus habere posset, quando videmus, Viros Doctos, ingenique gloria florentes, difficultatibus, quæ in motuum horum consideratione undique emergunt, oppido succubuisse, nobisque haud raro errores graves sub veritatis hoedera exposuisse. Quod quemadmodum in eorum indole explicanda frequenter evenisse, observatum est passim Viris harum rerum guaris; ita quoque non minus deprehendere licet, quando eosdem ad leges referunt, eorumque moralitatem nobis explicatam dare recipiunt. Inde que sunt illæ lacrymæ sententiarumque divortia, aliis illud ut certissimum vitiorum primordium execrantibus, quod alii primos boni igniculos exorientisque virtutis crepusculum dixerint. Cujus rei si infausta sint indicanda initia, præter communes errorum origines illud, quod rebus, quæ indifferentes dici solent, b) proprium est, allegari potest, ambigua scilicet valde dijudicatuque difficilima esse usus abususque confinia, illis potissimum, quos præjudicatæ opinionis afflavit virus & in alterutram partem jam tum reddidit proniores. Hæc cum animo meo volverem, non inconvenientem fore hunc campum judicavi, quem tenues ingenii vires periclitaturus ingrederer &

a) Vid. Præf. libri Anglici: A discourse of the Government of the thoughts by George Tullie Sub-dean of York. b) Apposite hanc in rem Cl Barbeyrac. il n' y a rien de plus difficile que de convaincre les hommes de leurs egaremens lors qu' il s' agit de choses indifferentes en elles mêmes vid. Tract. de ludorum moralitate recens editus.

& ea, quæ liceret, mentis alacritate decurrerem. Constitui itaque motus istos, quos recepto vocabulo affectus nuncupamus, ad naturalium legum exigere normam, quæque ad illam relati sustineant moralitatem, per partes delineare. Neque insignis utilitatis, quam inde depromere licebit, me destituit fiducia: partim, quia necessarium valde est, firmam de iisdem, quibus tot vicibus exardescunt homines, animo complecti sententiam, partim quia sanctiori isti de lege doctrinæ multum lucis fœneratur consideratio, quousque nostræ rationi hic prægredi liceat, & quibus in gradibus eam post se relinquat revelatio. c) Tu vero, Benevole Lector, nobis per salebrosos asperosque viarum saltus incedentibus benigne condona, si quando pes noster vacillet, imo si lubricitatem materiæ plane nostros fefellisse gressus deprehendas. Expectamus à Te favorem legis, Magistratus Atheniensis auctoritate lata, qua cautum erat, ut nulla exploderetur fabula primitus exposita, ideo quod exercitatione demum improboque labore evadant artifices, neque, quod de Poëtis dicitur, confestim nascantur. Faxit Deus, ut omnia fiant feliciter!

c) Chemnitii Loc. Theol. part. II. cap. II. p. m. 18.

## SECTIO PRÆLIMINARIS.

### §. I.

**C**UM moralitatis vocabulum, quod in fronte gerit nostra dissertatio, nil ambiguitatis in ipsos conceptus invehere posse videatur, in eo quoque evolvendo diu hæerere, otiosi atque affectatè scrupulosi esset ingenii. Nam quem latet ex communi usu ea denotari affectionem, quæ l. nostris motibus vel etiam actionibus per earundem ad leges relationem imponitur.

ponitur. Neque ejus divisio valde nos morari potest, secundum quam pro legum forique, in quo fanciuntur, discrimine alteram Ethicam alteram Politicam dicimus. Nemini sane obscurum esse potest, fori humani sanctiones in externis actionibus & ad tranquillæ societatis culturam compositis terminari, neque ad regendos animi motus intendi. Præterquam enim, quod judex humanus, quem interiora hominum fugiunt omnia, causæ cognitione non posset defungi legitime, infinitis quoque litigiis nonquam non scaterent curiæ, si invidiæ, iræ amulationis atque similibus ibidem attenderetur reatus. Materiæ itaque indoles satis arguit, nos solam Ethicam moralitatem hic utroque respicere oculo, & eatenus quidem, quatenus a lege proficiscitur, quam ipsa sana ratio nobis promulgat.

§. 2. Solam proinde convenientiam cum lege, genuinum illum atque unicum Moralitatis fontem attendimus, dum de affectuum bonitate vel turpitudine instituitur disquisitio. Lubrico enim valde atque ambiguo se tuentur argumento, qui tumultuantium horum motuum inde colligunt malignitatem, quia nobis, si quando post vehementiores tumultus, animi cupiditas defertur, verecundus suboritur pudor, virtutis quasi custos atque vitiorum frænum, qui claro sit indicio, turpe quippiam à nobis fuisse admissum. Dudum enim evictum est, nimis intutum fore, si rerum honestatem juxta angustam hanc fallacemque oppido normam dimetiri velimus. Neque eorum amplectenda videtur opinio, qui seposita omni lege, quosdam affectus atque actiones ex interna sua indole morales esse, existimant, quod multis visum fuit, ex quibus Grotium, d) atque Gebhardum Theodorum Mayerum e) adduxisse sufficiat, cujus verba sic se habent: Quicquid cum illa Excellentia & fine hominis in actionibus, affectibus, consiliis consentit, illud est honestum natura; & quicquid eidem adversatur, natura est turpe. Verum utut largiamur, actus istos  
atque

d) L: I. de J. B & B, §. 10. p. 8. e) In Tractatu de legibus §. 44. §. 3. p. m. 34.

atque motus, qui cum fine præscripto amico fœdere conspirant, sua natura posse dici bonos vel malos, cum Idea boni sit relativa, habitudinemque semper ad finem subindicet; eos tamen in se honestos atque turpes esse inde neutiquam inferre licebit. Conducerent quidem ad optatam finis consecutionem, etiamsi per abstractionem eos ab omni lege removeremus, ast quamdiu in ista sejunctione persistimus, homines ad illos exercendos l. omittendos vinculo quodam adstringi, constanter insitiamur. Sic dubio procul vir rerum civilium gnarus multa sæpe novit, quæ Reipublicæ fini atque tranquillitati inserviunt; sed eum quoque ad illa peragenda teneri, si legislatorem tollas, nullo modo potest asseri. Hoc tamen dum tenemus, provida opus est cautio, ne evita-  
ta Scylla in transversam Charybdim nos abripi patiamur, quod illis evenit, qui legem solam honestatis originem esse stabilientes inde concludunt, Auctorem legis Deum sancire potuisse pro libero arbitrio contraria illis, quæ propter relationes illas, quas natura divina ad humanam & humana ad divinam sustinet, olim ab eo fuisse præcepta, novimus. Ducit sane pestilens hæc sententia occulto tramite ad eorum castra, qui dubitationem male sanam etiam in morum doctrinam infausto conatu invehere annixi sunt, quod luculenter demonstravit, qui post Martinum Schockium, Marinum Mersennum, Samuelem Parkerum omnium optime *σχεψιν* illam inficetam confutavit, Petrus de Villemandy M. D. V. Amstelod. f] Scilicet in Numinis quidem Summi arbitrio passitum erat, producere homines: at postquam semel decrevit homines ratione condere præditos non poterat non simul, quæ ejus Sapiencia atque Bonitas est, sua ipsis decreta rationali digna creatura inculcare. Profluunt itaque ista ex libera voluntate, sed profluunt ita, ut necessitatis quoque induant rationem, dum prorsus fieri nequit, Deum Sapienciæ suæ migrare leges posse. Id quod ideo hic non reticendum erat, quia contrariæ sententiæ Patroni cum Grotio, g] argumento ab affectibus hausto nostram impugnant,

f) in *Sceptitismo debellato* c. 2. p. 10. g) l. c. p. 9.

pugnant, atque Stagiritæ , h ] sic loquentis verba sua faciunt :  
 ἐπάσα δ' ἐπιδέχεται πράξις ἐδ' πᾶν πάθος τὴν μεσότητα. Ἐνια  
 γὰρ εὐθύς ὠνόμαθαι συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος, οἷον ἐπι-  
 χαρσηκία ἀνασχυντά, φθόνος. Πάντα γὰρ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα  
 λεγεται τῶν αὐτὰ φαῦλα εἶνα. Sed respondendi otia nobis fecit  
 Pufendorfius i ] qui accurate observat, ejusmodi vocabula præter  
 motus physicos connotare simul atque involvere tales, qui legi-  
 bus repugnant, de quo infra fusior atque magis tempeſtiva di-  
 cendi redibit occasio.

§. 3. Asserto itaque, solam legem honestatis esse mensu-  
 ram, jam de quibus motibus illa possit disponere, 'paucis adda-  
 mus, ut applicatione deinceps ad affectus facta concludere liceat,  
 in quantum eos moralitatis dicere capaces valeamus Hic au-  
 tem missis illis, quæ spinose atque operose ; quandoque etiam  
 falso à juris Naturalis Doctoribus disceptari solent, rem omnem  
 nobis sic planissime concipimus, ut ab absolvendam motus inter-  
 ni bonitatem l. turpitudinem tria dicamus concurrere debere, ita  
 quidem, ut si horum unicum desiderari deprehendatur, omnis quo-  
 que abesse intelligatur moralitas. Scilicet *præter motum natura-*  
*lem*, opus est ut in nobis sit per voluntatis determinationem natus  
 & ab ipsa lege vel permissus vel vetitus l. demandatus. Motibus vero  
 istis internis, quos vocamus naturales, præter sensuum nutritionisque  
 operationes accensemus quoque apprehensionem illam intelle-  
 ctus, cui nulla est relicta obsequii potentia, suo modo judicia,  
 voluntatem denique eatenus, quatenus ut facultas mera homini  
 a natura indita consideratur. Hos omnes atque singulos, cum in  
 illis ceu necessariis decernentis voluntatis nullæ sint partes, non  
 esse morales, consentiunt universi. Ad Moralitatem itaque quia  
 non sufficit, ut motus quidam ab homine producat, sicut ex ha-  
 etenus dictis patet, voluntatis decretum accedat, oportet, quæ in  
 hoc deflectat latus, cum ad alterum se convertendi plena suppe-  
 teret

h) Ad Nicom. l. II. c. 6. p. m. 86, edit, Zwing. i) de jure [Nat. & Gent.  
 L. I. c. I. p. m. 26.



teret potestas. Unde & illos motus, qui in nobis ante voluntatis consensum cientur, si solitarie & non præcedentium actuum intuitu, à quibus forte promanarunt, concipiantur, moralitatis expertes jus nostrum, ut nobis hodie innotescit, pronuntiat. Voluntariis vero motibus postquam ad legem respectus accessit, honestas l. turpitude imponitur, & ut vel ad laudem vel ad vituperium imputari queant, conciliatur aptitudo. Hanc moralitatis γέννησιν si probe attendamus, ad faciliorem subsequendum intelligentiam faciem nobis proferet, cujus causa etiam solum fuit inducta.

§. 4. Accessuri jam ad rem præsentem propius nullo monitore intelligimus nobis jam incumbere, ut generalius dicta ad affectus accommodemus, clareque in quantum sint vel fieri possint morales, exponamus. Sed quilibet etiam æquus rei æstimator facile deprehendet, illud neutiquam commode à nobis præstari posse, si non de illorum natura pauca delibemus, illosque imprimis removeamus conceptus, qui quidem apud Philosophos hinc inde obvii sunt, ipsi vero affectuum moralitati adversantur maxime, quæ etiam sequentium positionum lex esto atque meta. Sic itaque illos describendos putamus, ut voluntatis motus vocemus, ex boni malique Ideis profectos, quos extraordinarius spirituum motus & comitatur & sequitur. Ponimus, ut patet, affectus formam, ceu Scholæ loquuntur, in motu voluntatis, eoque activo, præeuntibus nobis hic recentioribus nonnullis; quamvis passivos istos, qui activos antecedunt, minime exclusos cupiamus. Eliminamus vero eo ipso ex eorum censu dolorem, voluptatem, famem, sitim, terrorem, sympathiam atque antipathiam, cum in istis agens voluntas nulla obeat munia: Deinde voluntatem intelligimus non pure sed in corporis commercio operantem; ficque cum mentalibus affectibus hic nihil nobis erit negotii, de quibus k) Salmasius, l) Durrius, atque m) B. Thomasius videri possunt. Ex quo etiam colligitur, nobis non arridere illorum placita,

B cita,

k) Comment. in Epict. & Simpl. p. m. 106. 107, l) Inst. Ethic. part. III. Sect. I. cap. 6. m) Tab. pract. IX.

cita, quibus existimationem, contemptum imo & admirationem affectuum titulo insignire placet, quamvis illa soli Intellectui competere non negent. Sed Horum sedem, causas, generationem atque effectus distinctius paulo percensere juvabit.

§. 5. In sede affectibus assignanda scinduntur in partes & Veteres, & ii, qui liberius philosophandi iter sibi elegerunt. Pythagoræ mentem non obscure nobis exposuit Anonymus n) sic dicens: ἔχει γὰρ θεϊάν μὲν δύναμιν [ἀνθρώπος] τὴν λογικὴν, ἔχει τὴν τῶν χειρῶν φύσιν, τὴν τρεπτικὴν καὶ αὐξητικὴν καὶ ἰσόμακρον γεννητικὴν & paulo post: ἤτις μὲν γὰρ ἔχομεν τὴν λογικὴν δύναμιν ἥπερ, οἱ θεοὶ καὶ τὸν θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν ἐνδεέστερα τῶν ἐν ταῖς ἀλόγοις, εἰάν τις θεραπεύσῃ τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον ὡσπερ ἠνιόχον ἐγρηγυρέλα καὶ ἐπισήμονα ἐπισήσας δυνήσεταί ἐκάστῳ τῶν ἄλλων δυνάμεων εἰς δέον χρῆσασθαι τῇ δὲ κρασεί, φημὶ τῶν χειρῶν, θυμῷ καὶ τῇ ὀρέσει. Ubi τῷ θεῖῳ, quod ipsi ratio est, contradistinguit naturam Elementorum, ut vocat, in eaque Pythagoram affectus statuisse, indicat, sicut & Jamblichus o) in ejus vita πάντα ἀλόγως συνιστάμενα καὶ ἀποφυόμενα dicit. Ex quo patescit, eum minime exemplo suo Stoicos ad erroris communionem invitasse, quamvis, quod mireris, Hieronymus illis hunc semper jungat à Justo Lipsio p) ideo notatus. Plato q) qui ex Pythagoræorum rivis in sua prata multa derivasse vulgo censetur, rem paulo aliter edisserit triplicem animæ partem rationalem in capite, irascibilem in corpore atque concupiscibilem in umbilico & jecore constituens. Zeno, Chrysippus hosque secuti Stoici in diversa omnia abeunt & in perturbationibus τὸ ἡγεμονικὸν sedis loco commemorant, quod principale Seneca, principatum vertit Cicero. Quemadmodum vero alias in generali animæ partitione sibi non constant, quod tot dissensiones à Tertulliano r) commemoratæ satis declarant: Quemadmodum

n) Vid. Photius Codic. CCLIX. qui & Jamblichi Editioni à Cl. Kuffero adornatæ subjunctus reperitur p. m. 62. o) in Vita Pythag. c. 15. m. 50. p) In Introd. ad Philos. Stoicam l. III, dissertat. VII p. m. 151. edit. Plant. q) Diog. Laertius in Plat. p. m. 202. conf. & p. 212. r) In Physiologia Stoica l. III. Dissert. 17. p. 181.

dum quoque vocibus mirum in modum sunt ludibundi, digni propterea habiti, qui Eruditis λογομάχοις à s) Samuele Werenfelsio l. primo loco annumerarentur: ita quoque in hujus vocis acceptione perturbatae eorum sunt rationes t) Plutarchus quidem istud ἡγεμονικὸν nobis explicaturus dicit. οἱ στωικοὶ φάσιν εἶναι τῆς ψυχῆς τὸ ἀνώτατον μέρος τὸ ἡγεμονικὸν τὸ ποιῆν τὰς φαντασίας καὶ τὰς συγκαταθέσεις καὶ αἰσθήσεις καὶ ὄρμεις καὶ τῆτο λογισμὸν καλεῖσι. Seneca tamen, u) qui Stoicorum, quos ætas nobis non eripuit facile Princeps est, suo Lucilio aliter paulo rem proponit: Puto inter me teque convenit, in animo esse partes ministras propter ipsum Principale nobis datas. In hoc principali & aliquid irrationale & rationale, & post pauca: Irrationalis pars animi duas habet partes, alteram animosam, ambitiosam, impotentem, positam in affectionibus, alteram humilem, languidam & voluptatibus deditam. Inde etiam est, quod Galenus vv) Chrysippum exagitet acerbe, quod cum cæteris Stoicis, quæ animo sederet sententia, clare atque distincte non auderet eloqui. Plurimi tamen eorum πρώτῳ isti ψεύδει, quod perturbationes fiant in λογισμῷ seducti, eas judicia prava atque opiniones esse, credebant. Sic Plutarchus. x) Τῶν φιλοσόφων οἱ μὲν τὰ πάθη λόγους ποιῶσιν, ὡς πᾶσαν ἐπιθυμίαν καὶ λύπην καὶ ὀργὴν κρίσεις ἔσας. Idem Marcus Aurelius Antonius dicit, suos monens: ut opinionem tollerent, ἐξάλειψωσι φαντασίας, animi impetum sistant, appetitum extinguant, partem principalem liberam atque intentam servent. Id quod ὑποθέσει δαλεύοντες aliter non poterant effingere. Volebant enim omnibus his quasi morbis carere sapientes, & cum adversarii, illud ambitiosius jactari quam vere obtineri, sæpius ingeminarent, suæ imbecillitatis obliviosi dictitabant, omnes suscipi opinione, ut non modo quam vitiosæ, sed etiam, quam sint in nostra potestate

B 2

tc

s) Vid. ejus dissertatio de Logomachiis Eruditorum. t) c. 4. de placitis Phil. c. 21. u) Epist. XCII. p. m. 762. w) περὶ ὑποκειμένης καὶ πλάτωνα δογμάτων fol. 38. x) De genit. animæ.

te significarent. Epicuri y] & Gassendi z] sententias non attingimus, neque Aristotelem huncque magna nube secutos Thomam, Scotam Conimbricenses, Eustachium a S. Paulo allegamus, ne affectatæ prolixitatis at invidiam nobis conflemus. Cartesius aa] qui omnia novaturus hanc quoque partem non immutatam reliquit, affectus, qui hætenus plerumque ab Aristotelicis cordi fuerant adscripti, in intimam cerebri partem relegavit, & ne in tanta siccitate arefcerent, canalem supposuit, qui spiritus cavitatum cerebri anteriorum, cum posteriorum spiritibus communicaret. Ab iis vero, qui tres animæ partes comminiscuntur, mediæ, quam animam vocant asseruntur, ut luculenter celeb. Buddeus bb] docet. Et quis omnes vellet recensere, cum hodie tantum non omnes, qui aliis plus sapere videri cupiunt, pudet, tritis ab aliis insistere vestigiis: hinc nova subinde vocabula veteris doctrinæ involucra conquirunt, novaturientis seculi vel eo saltem applausum atque gratiam aucupaturi. Simplici itaque doctrinæ insistimus & ut nostra affectuum finitio habet, eos voluntati tribuimus. Et cum propria convincamur sensatione, cor imprimis eorum insultu atque impetu infestari, cur eos ibi residere negemus, nullam hætenus prægrandem vidimus causam, Cæterum Specialem magis hujus rei deductionem, utpote nobis hic non adeo proficuum & Physicorum Scholis ex mente Conringii cc] propriam τοῖς Φυσιολόγοις relinquimus.

§. 6. Affectuum causas quod attinet, in remotam atque propinquam dispesci solent, illam corporis temperaturam potissimum; hanc vero boni malique Ideam esse, vulgo pronunciant. Hæc autem ut distinctius cognoscantur, altius rem & ab ovo, ut dicitur, repetemus, hisque nexu junctis Paragraphis includemus.

I. Mens in sui contemplatione defixa vehementem concipit conatum

y) Lib. X Diog. Laert. z) vid. Philos. Epicurea fol. m. 158. & fol. m. 1512.  
 aa) de passionibus art. 31. part. I. p. m. 63. bb) Phil. Theoret. Part. I. p. 112. cc) Vid. Præf. in Scipionis Claram. librum de conjectandis hominis moribus.

tum suam tuendi, ulteriusque protrahendi existentiam; qui nobis dicitur voluntas ab ipsa mente re ipsa non distincta II. Desiderium istud quemadmodum valde actuosum est & a fervore suo nonquam remittit; ita dux & auctor ei opus est, qui ostendat objecta, in quibus figi & conservationis suæ subsidia quærere possit. III. Jam vero quoties internæ attendimus sensationi, nil in nobis deprehendimus, quod menti objectis se jungere cupidæ faciem præferat intentoque quasi digito ea designet, præter earum rerum imagines, quas ad sui conservationem vel profuturas I. noxias judicat h. e. præter boni malique Ideas. IV. Hos itaque voluntatis aversionisque esse principia non obscure inde deducitur; ita quidem ut, quoties in mentis theatro ejusmodi simulacra compareant, toties quoque mens, nisi alia intercedant obstacula, amore vel odio in res his simulacris significatas trahatur. V. Inde etiam voluntatis aversionisque notiones non parum lucis accipiunt, quia inde conficitur; velle idem esse ac rei quæ naturam nostram perficit, ambire conjunctionem; nolle vero, rei, quæ naturam destruit, conjunctionem amoliri & omni conatu nos ab ejus commercio proripere VI. Hominibus vero in harum idearum formatione non convenire, aliis hanc, aliis aliam mente complectentibus; ab ipsa edocemur experientia: ex quo statim patet ab horum conceptuum varietate humanas quoque mentes varie temperari & alias hujus, alias alterius rei evadere appetentiores. VII. In origines vero hujus diversitatis si inquiretur, ad illud forte sunt referendæ, quod homines pro mensura bonitatis in rebus amplectantur istam *χέσις*, quam ad suam naturam illis in esse, quisque est persuasissimus. Cum enim homines neque in Naturæ humanæ Idea conveniant, sed quilibet aliud sibi mente efformet exemplar, ad quod naturæ perfectiones exigat; illam quoque *χέσις* tot subire vices necesse est, quot ab hominibus efficta sunt perfectionum *πρωτότυπα*. VIII. Nam postquam quis naturæ suæ, ejusque perfectionis in animo sibi stitit simulacrum, ad illud omnia, quæ sub sensuum imaginationisque ambitum ca-

dere possunt, exigit in illisque, quæ cum semel impressa boni Idea connexa aut cognata sunt, sollicitè investigat; Cum vero res quas-  
 cunque non ex pretio interno, sed ex istius impressionis modulo, quo  
 illum afficiunt suaviter atque demulcent, æstimet, aliter fieri nequit,  
 quam ut in tanta cognitionis perturbatione atque obscuritate, sæ-  
 pius in illud ruat, quod cum naturæ perfectione, si rite fuisset  
 delineata, adverso fronte pugnet. X. Omnis itaque Basis, cui  
 generales Boni Ideæ inædificantur, diversa est ista impressio, ob  
 quam quilibet rem naturæ suæ perfectioni inservire credit. Sic  
 si quis naturæ suæ excellentiam atque præstantiam ex dominio  
 metiatur, quod quis sibi in alios vindicare potest, hæc mente  
 hausta opinio efficiet, ut omnibus, quæ similitudinem cum isto  
 cerebri foetu mentiuntur, anxie inhiet, sitimque suam honoris cir-  
 cumferat semper, extinguat nonquam. X. Neutiquam tamen  
 opinamur, has Ideas tantum ab objectorum in nos agentium ha-  
 bitu menti obvenire; sed in Infantibus, simulac in lucem edun-  
 tur, immo simulac prima eorum stamina in maternis producun-  
 tur receptaculis eas formari, quæ naturæ nostræ labes est, nulli  
 dubitamus. In summum enim probabilitatis gradum illa ele-  
 vata est sententia dd) Infantis phantasiæ à matre imprimi, quicquid  
 nativæ propensionis in eo reperitur: quæ inter primos impuberta-  
 tis annos cineribus quasi involuta latet, languideque saltem prodi-  
 tur, donec adultior ætas externis suscitetur rebus, suscitataque novis  
 subinde flammis infestetur. Quam probabilem sententiam pro de-  
 monstrata neque venditamus, neque etiam hunc solum traducendæ  
 labis modum esse, audemus affirmare, reverentiæ divinis oraculis  
 debitæ nec hic immemores. Multo minus istas Ideas connatas appro-  
 bamus, de quibus sub finem seculi superioris inter Herm. Alex. Roel-  
 lium ee) Theol. atque Philos. Franequeranum & inter Gerhardum  
 de Uries ff) Phil. Uterajectanum serbuisse certamina, novimus, cum  
 &

dd) Statuit hoc Malebranche, dans la recherche de la verite lib. 2. cãp. 7.  
 p. 148. ee) In diss. de religione Nat. & in duabus aliis de Theol.  
 Nat. ff) de Ideis rerum innatis,

& à Samuele Parckero gg) & Joh. Musæo hh) etiam ante horum digladiationes funditus sint explosæ. Interim ex supra dictis consequitur, non inelegantes, neque omni fundamento vacuas Angli cujusdam ii) argutias esse, dum dicit: Passions are a great deat older than our reason. They came intho the vworld vvithus, but our Reason follovs a long time after. XI. Quamvis autem mens in omnibus bonis, quæ hoc ornant Universum, suæ conservationis fulcra quærat atque præsidia; non tamen negari potest, quemvis una ex generalioribus boni Ideis, potentia scilicet, voluptatis atque honorum singulari ratione tangi, quæ ipsi præ cæteris familiaris sit & in cujuslibet rei occurfu primo loco se ingerat: quemadmodum nec hoc prætermittendum, mentem quoque Deum ad suæ naturæ exemplar referre, & communionis quandam sibi fingere imaginem: quæ res tamen sic sommolenter atque languide procedit, ut, nisi sublimiores tractus accedant, se hoc veterno nonquam exolvere possit. XII. Quando itaque boni generalis, sive congenita sive acquisita Idea ab objecto, quod nostræ naturæ vel commodum pollicetur vel damnum minatur, irritatur, mens hoc sub generalis boni complexum cadere judicans, accedente in corpore spirituum motu, in istud ruit, collectisque quasi viribus ejus vel possessionem vel remotionem intendit. XVII. Et hoc jam est, quod affectuum causam proximam dicimus. Ulterius vero si progrediendum & exquirendum, quænam inter rem externam hujusque Ideæ suscitationem detur connexio, quæque adeo affectuum causa remota dicenda, Philosophi varias ingrediuntur vias; usque tandem post varios circuitus ad unum redeant, omnes, quotquot sunt ingenui, fassi, istius connubii, quod mentem corpori alligavit, abstrusas admodum atque reconditas esse rationes, ita quidem, ut quo magis illarum investigationem urgeamus, longius quasi à nobis fugiant recedant. Si cuidam tamen

gg) in dispp. de Deo & divina provid. hh) In Introd ad Theol. cap. II, §. 23. ii) Act, by which a man may raise himself and his fortune to grandeur p. m. 59.

tamen minus honorifica videatur hujus ignorantis professio, per nos illorum sententiæ adstipuletur, qui ingeniose nec sine veri specie dicunt: res externas ope corporis percipi ab anima ita, ut & corpus habitudinem suam, in quam ab objecto conjectum fuit, animæ communicet, quæ ad corporis motus minus indifferens, duplicatis sic lenociniis, eo fortius in rei vel fugam vel amorem procurreret. Sic, ut ex horum mente rem porro deducamus, sicubi sulphurea bilis in cujusdam corpore dominatum obtineat quæ ob particularum, ex quibus componitur, constitutionem in celerrimum motum facile rapi potest, nervos incendit, sanguinem exagitat, & corporis quandam potentiam menti falso exhibet, Allicitur Meus proinde ad generalem illam boni Ideam suscitandam, imprimis si objectum accedat, eidem simulacro suscitando aptum, ubi ingeminata vi vehementior fit commotio. Id quod sæpius factum desinet tandem in habitum, dum spirituum motus eadem cerebro vestigia impressa repetentium iteratus menti quoque eundem suggeret affectum. Ut adeo fieri nostra referat quos motus & quibus cogitationibus jungamus, vel olim junctos familiaresque redditos dissolvamus, si efficaciam habitus quodam modo fractam cupiamus. Hæc vero à nobis ad alia properantibus excuti fusius nequeunt.

§. 7. Ab hac re tamen antequam discedamus brevem liceat controversiæ mentionem injicere quam Claudius de Saumaïse, II) qui Princeps Eruditorum suo tempore dicebatur, movit Galeno, qui Chrysippum celebrem illum Stoicorum ducem acerbius perstrinxerat ideo, quod opinionem s. quod idem esse videtur, Ideam boni mali que non inter affectuum causas retulerat sed illam ipsos affectus esse dictitaverat. Scilicet credit Salmasius Chrysippum præter rationalem in homine agnovisse nullam facultatem, sed mentis totam *σύνταξις* esse rationalem. Cum itaque illa  
λογι-

II) In Coment. in Epist. atque Simplicium, & cui primam hujus rei notitiam debeo, Cel. Buddeus in Hist. Philos. Analect. Exercit. IV. de error. Stoic. p. m. 186.





um ordinem scite detegit. Scilicet post objectam Phantasiam seu rei simulacrum in mente *ροπή* sequebatur, quæ ipsis propensionem in objectum notabat. Mox *εἴξει* s. cessio accedebat, si quis primis affectus initiis non obicem atque repagula statueret. Tum *συγκαταθέσις*, ubi mens enatis illis motibus *συγκατατίθεται καὶ προσεπιδοξάζει*, ad plenam vero eorum *ἀγμὴν* nondum ablata est, usque tandem in *ἐρμὴν* erumpant, in qua mens sui impotens impetuosa excursionem facta, rei vel conjunctionem vel aversionem furibundum in modum ambit atque requirit. Ex Epicteti præceptis, quæ Arrianus scriptis commendavit posteris, miroque ingenii acumine illustravit Simplicius, quamvis his consentanea allegare possemus, ea tamen prolixitatis tædium evitaturi una cum Senecæ locis omittimus, sola allegatione ea nn) indicantes, & locis Lipsio adductis locum insignem Gellii oo) addentes, quem Lipsio omissum miramur. Vir celeberrimus Joh. Clericus pp) hunc enim audire quoque juvat, his ferme vicibus rem omnem absolvi dicit. 1. Confusam vel distinctam rationis perceptionem, quam objectum ad nos habet, adesse. Tum sequi mentis iudicium. 3. Post rem vel bonam vel malam coram rationis tribunali pronunciatam succedere voluntatis determinationem. 4. Quam ipse vel amoris vel odii sensus exciperet, moxque sanguinem ad exteriora corporis membra propelli. 6. Tandemque suam commotionem in hac spirituum exundatione persentiscere mentem cui voluptas interior adhæret, animum detinens, ne à præsentis affectu mox recedat. Hisce si nostra cogitata sint jungenda, putamus. 1. Objecti perceptionem sive à sensibus sive ab imaginatione ortam præcedere, quæ post se trahit iudicium, istud sub generalis Boni ideæ ambitum cadere. 3. Cui succedit quædam voluntatis inclinatio, cui illa voluntatis in familiarem boni ideam facilitas motusque corpori extrinsecus impressus vires addunt

nn) Lib. II. de Ira c. 4. p. m. 410. ib. c. 3. it. Epist. CXVI. oo) Lib. XIX. c. 1, ubi fuse ea de re, pp) Ethica Philar. p. m. 78.

dunt atque fomenta. Quo facto nisi mascule obviam eatur hi-  
 sce illicitis, voluntas consentiens incipit obire munia, quæ non  
 uno saltu plerumque, sed pedetentim consummari videntur. Post-  
 quam enim propensione effœminata quasi atque infracta est mens  
 nostra, dubia vacillat, & obloquentibus sanæ rationis reliquiis hæ-  
 ret, utrum obsequi motibus, an iisdem nuntium remittere con-  
 sultius sit, donec usque & usque magis in id, ad quod illa pro-  
 clivitas trahit, consentiat, quod nonquam non satis dedignandum  
 humani generis propudium est. Id quod tamen in omnibus ce-  
 lerioribus etiam atque ex habitu profectis reperiri, non affirma-  
 verim. Tandem in res rapide involat voluntas maxime simul  
 concitato spirituum atque sanguinis cursu, qui vel pallore vel ru-  
 bore vel utroque per vices sibi succedente in genis aliisque partibus  
 se prodit.

§. 8. Qui autem motuum horum, utramque hominis par-  
 tem graviter percellentium sint effectus, id ultimo loco erit ad-  
 dendum. Illos, qui ad corpus referuntur, eidemque damna pa-  
 rant, Medici edisserere solent, quique in spiritibus, fluidis æque  
 ac solidis partibus eosdem collocant. Damna autem, quæ a con-  
 citiori affectu suboriuntur tanta sunt, ut qq) Magnif. Dn. D.  
 Rivinus affirmare non dubitaverit; solum sapientem esse longæ  
 vum. h.e. Illum demum sibi diuturnam vitam polliceri posse, quæ  
 animi passionibus aut immunis plane sit, aut easdem prudenter  
 temperare noscat, cum longe plures ira, mœrore quam gladio,  
 aeris vitio diætæque errore pereant. Idem rr) de Timore impri-  
 mis differens ait: ex impotentia animi aeris contagium metuen-  
 tis aliorum que susurris terrore percussi pestem propagari, longe la-  
 teque dominari, quamvis venenum nullibi nisi in fingentis animo  
 inveniatur. Illæ vero miræ sunt, quæ insciis nobis atque invi-  
 tis solent obrepere, oris, manuumque commotiones, quando timo-  
 re percussi, subitam vocem emittimus, indignabundi pedibus ter-  
 ram pulsamus, lætantes prosilimus, erectisque super caput brachiis

C 2

cachin-

qq) In progr. ann. 1700, hic public. rr) in Tract. de Peste.

eachinno solvimur, rem despicientes labra naresque contorque-  
 mus oculisque eum habitum induimus, ut speculi vicem cogno-  
 scendorum nostrorum affectuum sagacioribus præstent. In qui-  
 bus nonnulli divinæ providentiæ spectaculum adesse autumant,  
 quod non negamus, modo ad certos quosdam motus restringa-  
 tur; ad omnes enim jam enarratos illud non quadrare res ipsa  
 loquitur. Interim tamen præter damna, affectus quoque saltem  
 moderati insignia commoda afferunt corpori, sanitatem scilicet  
 tuentur, ventorum instar sanguinem ventilant, ne stagnando  
 putredinem aliaque vitia concipiat, quæ tamen, ne Medicorum par-  
 tes occupemus, hic mittimus. De Commodis animo provenien-  
 tibus pauca addimus. Scilicet ad acriorem boni appetitum, malique  
 fugam faciunt, eorumque interventu fructum vel damnum ex be-  
 ne maleque gestis percipimus. Sed si sint nimii licenterque laxa-  
 tis rationis habenis tumultuentur, maxima sunt, & infanda, quæ  
 menti inde offunduntur, discrimina. Quantam enim caliginem  
 invehunt! & solus metus, imprimis si ignorantiam nactus sit comi-  
 tem, quæ non ludibria, Manes, quas umbras post fata redeuntes alia-  
 que fabularum prodigia peperit, quæ toto die apud vulgus su-  
 perstitione lymphatum inaudiuntur. Immo ea est palmaria cau-  
 sa cur tot commentorum plaustra in orbem etiam ab iis, qui has  
 nugas aliis debebant eximere, in orbem literarium sint inducta,  
 uti ex Jesuitarum ordine Turnemine ss) inter fabularum origines  
 fusius deducere recepit. Pervertunt porro judicia, quod vel in  
 iratis videre licet, ubi ira acutis coeteroquin Viris ratiocinatio-  
 nes exprimit, quas sedatæ mentis homines vix ardenti correptis  
 febris condonarent. Hinc illa argumenta ab invidia ducta tt) qui-  
 bus Viris non solum sed & veritati exitiale indicitur bellum.  
 Hinc affectuum uu) Sophismata, Philautiæque fallaciæ, quas  
 Auctor artis cogitandi & Celeb. Theologus atque Abbas D. Schmi-  
 dius

s) Vid. Mémoires pour l'Histoire des sciences Tom. VI. p. m. 83. tt) Cler.  
 Oper. Phil., part. I, p. 247. uu) part. III, Log. c. XX, p. m. 269.

dius vv) fufe delineant. Hæc sunt pocula ista erroris atque ignorantia, quibus inebriati homines gravissimis abripiuntur cupiditatibus, uti ingeniosi Cebetis Tabula docet. quam post primam editionem 1497. a Philippo Beroaldo adornatam Salmasius Arabica paraphrasi donatam, suo in Epictetum Commentario at-  
 texuit. Et sane sicut pictoris ingeniosa manus sæpe imitatur natu-  
 ram hominumque affectu ferventium situs affabre adumbrat ut  
 ἡ ὀφρὺς ὑπέρκειται τῶ ὀμματι ἐς ὄργην συνηγμένη καὶ διδῶσα τὴ  
 τῶ θυμῷ πάθος; xx) ita quoque scripta pleraque eorum, qui per-  
 turbationibus indulgent, faciem viri sistunt atque attentis inte-  
 riora scribentis recludunt. Sed hæc satis sint, plura dat Clericus a  
 nobis ad institutum aspirantibus tacenda.

CAPUT II. GENERALE.

§. I.

**H**is jam præstructis, sine offendiculo ad ipsam moralita-  
 tis delineationem progredimur, in limine monentes nos  
 communem istam distinctionem in rem bonam, malam  
 atque indifferentem ut adæquatam suoque suffultam fundamento  
 præsupponere. Equidem me non fugit, Judæorum Magistros lon-  
 gius eam extendere & cum Rabbi Mose Bar Maimon yy) quatuor  
 ejus membra comminisci. Sic hic enim scribit : ומשנה  
 הנמרות כו' מכולם יתבאר האסור המותר הטמא והטהור  
 Ad cuius ductum etiam Rabbi E-  
 liakim Panzi zz) Gemaræ contenta eo revocat dicens הנשא הקרוב  
 Ubi mihi  
 actionem notare videtur in foro divino atque  
 humano prohibitam. In טמא רטהור ratio legum puritatem in-  
 jungentium habetur. In חייב ופטור prius culpæ reatum atque  
 prænz

C 3

ww) Hunc esse Auctorem Dissert. de Sophismatibus, Philautia, notum est. XX.  
 Philostr. Icones in Marfyas & εἰς τὸ Μηδείας ἀγαλμα fol. m. 905.  
 edit. recens editæ. xx) In Ethica p. 80. scqq. yy) Præf. in  
 משנה תרה zz) Vid. מפתח חמרא. Clar. Rätmayero ed.

poenæ in foro humano etiam innuere videtur, פטור actionem modo notat prohibitam, quæ impunita tamen relinquitur. Hinc frequentes Judæorum voces, פטור אבל אסור In פשול וכשר prius notat rem in se licitam propter circumstantias tamen quasdam rejectaneam. Sic vitulina carne uti licet, non licet, si ריב שחוקה non fuerint observati, sed כשר & rem licitam & bonis circumstantiis vestitam notat. Sed quis non videt hanc neque distinctam satis esse nec nostris legibus applicari posse, cum ad instituta, quæ Genti Hebrææ propria erant, in eadem fiat allusio. Neque ignoramus, multos nullos actus agnoscere indifferentes sive in specie sive in Individuo concipiantur: quorum sententiæ tamen, quo minus nostros addamus calculos, illud obstat, quod actus, circa quorum substantiam Lex non expresse disposuit, neque malis neque positive bonis annumerari posse censeamus.

§. 2. Motus vero nostri duplici ratione considerari possunt. Aut enim illos concipimus ut motus voluntatis ad bonum γυναικός spectatum determinatos, citra respectum ad bonum particulare, & ad certum, in quo existant, subjectum; aut contemplamur eosdem, quatenus ad hoc vel illud bonum sunt directi & à certo quodam subjecto producti. Sic si concipio amorem illum, qui in relatione ad bonum omnibus inest, quorum voluntas ideo nonnullis τὸ τῆς ψυχῆς ἀγαθουσιδὲς vocatur, motus primi ordinis concipio. Sed quando in Sempronio amorem mihi sisto ad honores, ad divitias, ad DEUM determinatum culibet evidens est, me mente complexum esse affectum ad particulare bonum relatum, huicque individuo adstrictum. Hisque Observatis affectus abstractive sumtos atque ad bonum in genere relatos non esse indifferentes, sed in se atque suâ naturâ bonos, concludimus. In contrarium non tantum Stoici abeunt, deinceps nobis notandi, sed & Peripatetici, Immo & ex illis, qui magis honorificum censent, absque signo diacritico veritatis castra sequi, quamplurimi a) qui voluntatis motus in se spectatos non magis quam pedum motus

a) Buddei Phil, Pract. p. m, 122.

motus esse morales, contendunt. Argumenta, quibus inducti ab his modeste dissentimus, si placet, formaliter exponemus, quorum primum hoc esto: Quodcumque in se atque natura sua est indifferens, illud nunquam positiva bonitate potest pollere. Atqui quidam affectus positiva bonitate pollent. E. Quidam affectus in se non indifferentes sunt, quod jam ad infringendam Universalitatem secus sentientium sufficit. Ad majoris illustrationem multa afferre, vix opus erit. Scilicet si res sit ex indole sua indifferens, ultra negativam bonitatem h. e. ultra agendi licentiam elevari nunquam potest, quamvis etiam omnes, quibus vestitur, circumstantiæ ad bonitatem amice conspirent. Ad illud vero bonitatis fastigium, quo illæ ascendunt actiones, quarum substantiam lex definivit, nunquam pertingit nulloque modo præcepta dici poterit. s. v. g. exspatiari actus in se indifferens est, & quoties omnia, quæ eum circumstant, rite se habent, ad licitos referri meretur. Sed bonitatem positivam illi adjudicare nemo audebit, nisi qui illos, qui hunc actum his septem circumstantiis non patrant, criminis arguere velit, quod sic satis esset absurdum. Affectus vero quosdam, quæ minor mea erat, positive esse bonos, nemo poterit infitias ire, qui recordetur, DEUM affectus justis objectis fixos hinc inde præcipere, illosque ipsos, qui contrariam tuentur sententiam, inde virtutem construere, si quis illis decenter uti sciat. Sic si quis lætitiæ, voluptatem, atque iram justis finibus circumscribat, *σωφροσύνην* atque *ἐνυπαγείαν* colere dicitur, quæ non, ut quibusdam videtur omnem ab his abstinentiam sed earundum moderatos insinuant usus, ut eleganter b) Henricus Stephani ostendit, vel si quis amorem honoris rite dirigat, *ἰσχυροσύνη* nuncupatur, quod consulto addo, quia nonnullos dubitare video, num vox ista etiam hoc in sensu Gentilium usurpetur Scripto-ribus. Sed locum insignem annotavit Dacier c) quem ut proli-  
xum apponere chartæ prohibet angustia. confer Vitam Platonis  
ab

b) In Schedias. l. II, c) In Vita Plat. p. m. 97. edit. Dac. 1699.

ab ipso conscriptam. Primo argumento succedat secundum, quod sic se habet: Quicquid DEO tribuitur, illud neutiquam erit indifferens. Atqui Affectus &c. E. Majorem nemo infirmare conabitur, qui justitiam atque bonitatem DEO essentialem esse cogitat, adeoque nihil quod positiva bonitate vacuum sit, ab eo proficisci posse, perpendit. Ratio enim novit non posse divinam bonitatem vel intendi vel remitti atque sic varias subire mutationes quod illi tamen statuendum esset, qui actuum divinorum quandam indifferentiam admitteret. Minorem quidem præter Stoicos, Pythagoræi nonnulli, Demophilus d) ut & e) Jamblichus vocarunt in dubium atque a divina natura omnes affectus removerunt: at, cum ideo videantur hujus erroris scopulis illisisse quia, quod in nostris perturbationibus est imbecillitatis, a divinis affectibus, non caute distinxerunt, nil obest, cur non Deo etiam proprie vindicemus eosdem, hac modo lege observata, ut omnia imperfectionem quocunque modo involventia procul facessere jubeamus. Sane Deum improprie amare atque odisse, dici non potest. Plura vide apud Scheiblerum. f) Quibus & illud ultimo loco jungimus, quod DEUS istas volitiones eo fine humanæ naturæ inseverit, ut se exerere debeant. Hocque cum per voluntatis determinationem fiat, motus talis divino nutui respondet, adeoque bonitatem positivam obtinet. Vere enim g) Zoroastris oracula pronuntiant: *σύμβολα γὰρ παλαικὸς νοὸς ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς ἕρωτι βαθεῖ ἀναπλήσας τὴν ψυχὴν.* Et pulchre h) l'Abadie: on ne faut point s'imaginer, que nôtre ame soit indifferente a se porter ou a se non porter vers ce qu'elle juge, qui lui est avantageux. Quamvis ex hac desiderii anxietate voluntatis libertati bonis particularibus se juncturæ nullum discrimen suboritur, ut multi sibi persuadent. Sed urgeri fortean posset

d) In sententiis de inform. vitæ s. p. P. p. 33. edit. Naudeanæ. e) De Mysteris p. m. 18 Marsilii Ficini editionis. f) In lib. II, Metaphys c. III. p. m. 103. g) Thomæ Stanleji Phil. Orient. Clerici Opp. Phil. subj. p. m. 329. h) L. art. de se connoître soi même p. m. 131.



set motus hōs posse præcise sub conceptu generico spectari ut motus voluntatis, & sic vel hoc saltem nomine quandam indifferenciam, non secus ac pedis motui eisdem asserendam esse. Sed regerimus, tales nunquam existere, & manifestam implicare contradictionem: Velle aliquid & tamen non objectum velle. Neque quia illud boni desiderium homini naturale diximus, inde poterit inferri, quod moralitate destituatur, cum quilibet videat, nos ab habitu distinguere actum & hunc tantum moralem vocare.

§. 3. Affectus vero concretive spectati & in bono particulari defixi pro ratione Subjecti mox boni mox mali evadere possunt. *Subjectum itaque si sit homo, qui nulla animi emendatione instituta, pro motuum horum principio agnosci t generalem illam, eamque pravam boni ideam quam vel à natura hausit, l. repetitis sepe vitiosis actibus sibi reddidit familiarem; In eo omnes atq; singulos pravos esse, dicere nulli veremur.* Cum enim, ut cætera taceam, ad consummandam affectus rectitudinem I. primo loco requiratur, ut ex constanti studio se ad legem componendi profluant, non obscure patescit, quam longe ab illa absint illi motus, qui natales referunt ad insana & cerebrosos somnia *νυφλας* que *δόξας* eorum, qui, quodcunq; incidit, non ex rei veritate sed ex nescio quâ fictâ habitudine ad suam perfectionem dimetiuntur. Et quamvis tales fortuito casu etiam in bonum proruant verum, non poterunt tamen, ratione in servitute I. si mavis, in exilio gemente, servare modum omnesque circumstantias, quod singularis est prudentiæ, in tanta caligine attendere. Et inde est tanta horum motuum discordia, collisio, laceratio, dum, ut subsequens unda impulsu suo priorem mox auget, mox elidit, una mentis passio modo aliam ex se gignat, modo ab alia infestetur atq; ejiciatur. h) Quo mihi etiam digitum intendisse videtur i) Arnoldus Geulingius, qui Christianorum vitam actionem præter passionem dicit, eamque tum vulgi, tum Philosophicæ opponit vitæ. Etenim, D. qui

h) conf. Diodorus Tuldenus de cogn. sui lib. II, c. 21, p. m, 258. edit. nov. Jen. i) In Tractat, Eth. IV. p. m, 89.

qui naturæ nitus sequuntur suisque desideriis velificantur, homines sunt, qui præter inane nomen nil humani possident. Splendidior eorum est miseria, qui vitia vitiis opponunt & sub Philosophicæ virtutis titulo sibi mire placent. Sola proinde virtutis gloria relinquatur illis, qui sublatis falsis boni simulacris legi etiam affectus substernunt, id quod citra sublimioris lucis impulsu minime fieri poterit. Inde quid de Gentilium affectibus sit statuendum patet, qui quantumcunque etiam virtutis studium præ se ferrent, in eo peccarunt, quod externas actiones ex affectuum æquilibrio formasse contenti, ipsos vero affectus nec regerent nec regere satis valerent. Nec præclaræ sententiæ obstant, quibus eorum sobrium moderamen graviter inculcant, cum hæc duo longo inter se intervallo distent, rem præcipere & rem præstare. Illud tamen cuiusdam ambiguum videri posset, quod de affectu amoris profitentur passim, se illum in solam virtutem dirigere, nullo præmio, nullo sui amore inducti: Verum nec hoc carere labe, certum est. Concipiebant sibi virtutem ut insignem perfectionem, quæ cultores insigni prærogativa a vulgi fece distingueret, & hinc, ne aliis hanc cederent palmam vitiosa instigabantur *Φιλανθία*.

§. 4. Ast, si affectus contemplerur, quatenus in homine emendato melioraque edocto nascuntur, illos gradatim contemplari non abs re erit. Supra vero observatum fuit, primum affectus gradum esse inclinationem, quæ voluntas in bonum propendet, quamque *ῥώτην* vocabant Stoici. *Hic gradus omnis moralitatis incapax iure naturæ, ut nobis hodie innotescit, pronuntiatur.* Neque ejus rei ratio longe est accersenda sed ex supra dictis §. 3. confirmatur facile. Scilicet lex ea solum interdiciere potest, quæ in hominis arbitrio ponuntur, s. ut Plutarchus, scite in Solone ait: *Δεῖ κατὰ τὸ δύναλον τίθεσθαι τὰς νόμους*: propterea ratio hos motus evellere nescia, quicquid etiam de absoluto in affectus dominio dicat Cartesius, eo tandem delabitur, ut hos naturæ esse motus, non voluntatis, credat, in iisque non magis ac

in

in fame, siti aliisque stomachi velicationibus culpam latere, putet. Quamvis hoc forte non ignoret, præter Numinis mentem hæc serio detestantis sibi talia in esse. conf. i) Rich. Cumberlando egregie dicta. Si tamen quis urgeat, quod hos motus quidem antevertere voluntatem, cognoscat ratio, ei tamen non posse obscurum esse, quod a præcedentium actuum vitiis, quodocunque etiam admis- sis dependeant; duplici nos defungi posse responsione confidimus. Primo enim negamus, rationem eo usque progredi, ut connatæ nobis labis origines assequatur, primorumque parentum divaricationes perspiciat. Res enim facti est, quam quis ex ratio- ne, omnibus frustra adhibitis ratiociniis, nunquam deducet, ideo quia in facto hoc necessarias nullas existentiae rationes dari, op- pido, notum est, uti eleganter pro more Magnif. Dn. D. Schmie- dius k) Academiæ hujus decus, Patronus noster atque Præceptor decenter venerandus, hac de re differit. II. Si præcedentium actu- um malignitate corroborata hæc propensio majorique vehemen- tia adaucta fuerit, eam quoque eatenus moralem esse admittimus, quatenus ad illam augmentationem voluntatis se extendit con- cursus. Nolumus tamen asserere, hunc motum non esse contra jus Naturæ, sed sola positiva lege nobis vetari, quod Nonnemini l) visum fuit. Nititur hæc lex ipsa creatione, Deusque, quæ ipsius est justitia, ab homine non potest non exigere, ut sit, qualis est conditus, h. e. ut sine distortis desideriiis, voluntatis obliquitate & omni reliquarum virium dissidio compareat. Accedit, quod unum sit jus Naturæ in utroque tum integritatis tum lapsus sta- tu: & cum in integro hæc citra dubium fuerint vetita, post tri- stem istam vicissitudinem valorem quoque suum adhuc tuebun- tur. Hinc expeditior nobis videretur explicatu eorum sententia, qui hos quidem motus contra Naturæ jus esse, affirmant, rationem vero in tantas tenebras esse conjectam, ut extantiora tantum

D 2 non

i) de Leg. Nat, c. 2. §. 26. 27. k) in pec. Dissert. an pecc. Orig ex Na- turâ sit demonstrabile. l) vid. Thomasi Jurisprud. divinam I, II. c. 2. §. 65, it. ejusd. præf.

non æque subtiliora detestetur. Neque huic asserto, uti Vir doctus existimat, Pauli assertum officit, dicentis: leges naturæ cordibus esse inditas, cum inde non fluat, jus Naturæ non posse quædam injungere, quæ ratio sibi permessa non attingat. Communis autem hujus sententiæ ex Paulino dicto stabilimentum petitur Rom. 7. v. 7. veluti m) Osiander scribit: Apostolus dicit, peccatum se non cognovisse nisi per legem sc. Mosaicam, quæ concupiscentiam prohibet. Quanquam enim ut Pharisæus noverit, concupiscentiam in mala opera exundantem esse peccatum; quanquam etiam vi legis naturalis eo assurgere potuerit, ut motus interiores voluntatis concursu effigiatos inter reprobos foetus numerarit, ad radicem malam penetrare non potuit. Longius adhuc progreditur D. J. F. Ludovici Professor Juris Hallensis, qui in dubiis Dn. D. Samueli Coccejo circa Hypothesin suam motis inde conficere cupit, neque actualem concupiscentiam, quam nos secundum affectus gradum diceremus, juribus Naturæ repugnare. Cui tamen illustria Gentilium dicta obstant, obstat ei manifesta ratio, quod bene observavit Coccejus, qui hanc opinionem ideo tantum excogitatam existimat, ne Principii Pufend. de socialitate sufficientiæ aliquid derogaretur. Ipse vero Coccejus ruinosæ thesini huic dicto superstrui credit suasque dubitandi rationes sic exponit. Nempe eodem in versu dicitur: τὴν ἀμαρτίαν ἐν ἑγνώσει μὴ διὰ νόμου quis vero, inquit, inferre vellet Paulum jure Naturæ nullum scivisse peccatum? Inde à capite V. eam declarat ingenii humani esse labem, ut semper contra legem sit animatum, ipsaque lex generandi pravi motus suppeditet occasionem: quemadmodum in ægris evenit, in quibus Medicorum leges diætæque ordo vetiti cibi accendunt desiderium. Unde itaque Apostolus ratiocinatur an lex peccatum est? dum emortuas atque sub favillis latentes suscitatur flammæ? Minime vero gentium, quamvis neque ἀμαρτίαν neque ἐπιθυμίαν non nisi per legem noscam, ad legem ipsam tamen nullum redundabit vitium, quæ omnia sequenti clarius indicantur.

m) in Typo legis Nat. p. m, 168. seqq.

indicantur versu uti Vir celeb, in resolutione dubiorum circa Hypothesin suam fusius exponit n) Hæc vero ut talia sint, quæ cuique assensum facile queant exprimere; hoc tamen forte contra ingeniosam hanc deductionem moveri possit 1) ἀμαρτίαν nostro Apostolo sæpe in oppositione ad παραβάσεις denotare tantum defectum naturæ, dubiumque sic primum corruere, 2) Literam textus εἴ τι ἔγνω εἰ μὴ διὰ νόμου plus significare ac occasione- nalem tantum excitationem. 3) Verborum συναφείων nec deficere, quamvis receptior assumatur verborum expositio. Quæ tamen ne in alienam messem faces immittamus tantum ὡς ἐν παρῳδίῳ dicta sunt.

§. 5. A primo ad secundum gradum transimus de quo quin moralitatem admittat, nullum est dubium. De illo saltem despiciendum erit, quænam norma sit statuenda, ad quam si hic gradus relatus fuerit, ejus vel turpitude vel honestas cognoscatur. Peripatetici vulgo mediocritatem allegant, omnesque affectus bonos dicunt, si modi sint mediocres. Quæ sententia quoque Pythagoræis placuisse videtur, ut in o) Theagis libr. de Virtut. & p) Archytæ fragmentis declaratur. Immo Socrates μηδὲν ἀγαθὸν juvenibus inculcans, Platoque non aliter sensit si q) Alcinoi fides habenda est, qui [Danielis Heinsii Interpretis verba sunt] sic docuit: Qui parentibus vita functis nil dolet, affectu caret, qui mœrore se conficit, affectus modum excedit, at qui medioeiter tristatur, moderate affectus dicitur. Quæ assertio & inde firmatur, quia Aristot: sibi non de mediocritate rei, sed rationis, quam exactam circumstantiarum observationem dicit, sermonem esse, asserit r) sed dudum est, quod s) Grotius hoc improbaverit, cum in nonnullis affectibus, scilicet amore Dei odioq; peccati nullum detur nimium. Quæ sententia ut primum ab Helmæstadiensibus fuerit refutata, t) postea tamen communem ferme obtinuit consensum. Et

— D 3 fane  
 n) Ref. dubiorum p. m. 13. seqq. o) vid. Pythagor. fragm. a Cant. versa & libr. ad Nicom. sub j. p. m. 482. p) ib. p. 426. q) cap. XXIX. p. m. 379. r) l. II. ad Nicom. cap. VI. p. 84. s) in Prol. ad jus Nat. & Gent. p. m. 13. t) Vid. Schertzeri Phil. in Cer. p. n. 243.

sanē cum mediocritatis Idea sit relativa, respectumque ad duo extrema involvat, opus habet alia relationis mensura hocque nomine non norma sed normatum dici debet. Nos superius dictorum §. 2. memores ex lege & hujus gradus moralitatem deducimus. Neque tamen illud ex socialitate, quæ multis adæquatum omnium officiorum principium audit, posse deduci, res ipsa loquitur. Hinc paulo aliter hæc tentabimus hoc modo: Quicquid ex collatione naturæ humanæ cum natura divina ratio nobis injungit, hoc omnino quilibet sibi debet. Jam vero si naturam humanam ad divinam referamus, ei maxime esse conveniens liquet ut & quoad interiores motus voluntati respondeat Numinis, quod ob immensam scientiam etiam intimos recessus penetrare novit. Omnis ergo voluntatis obliquitas, omnis motuum mentis aberratio hic merito in vitio ponitur. Et sic si Deus quædam vel odio vel amore jusserit prosequi, odio ea vel amore complectenda esse quis dubitet? Accedit quod nullæ rationi disparitatis consent rationes, cur externas actiones Deus interdiceret voluerit, non simul interdictis internis. Immo quia externæ actiones ideo sunt vitiosæ, quia ab interno mentis directorio dependent, longe majus, si labes inhæreat internis, vitium esse necessario judicabit ut eleganter t) Anglicus scriptor supra citatus in libro de gubernandis cogitationibus docet. Ex his dictis hoc itaque conficitur, quod homo circa regendos affectus sibi debet, officium: Omnes tuos motus voluntatis ad objecta divinitus tibi præmonstrata eo, quo justum est, ordine applica. Quæ vero illa sint objecta, quique in his servandus ordo partim aliunde præsupponimus, partim in speciali cujusque affectus delineatione monstrabimus. Et hæctenus ipsi Gentiles nobiscum consentiunt, quorum loca egregia, quibus ne acum quidem alterius concupiscere licere stabiliunt, Clemens Alexandrinus congescit, pluraque nisi res clara esset, ex Hierocle addere possemus. Ut adeo mirum sit, Judæos geminâ luce instructos illud assequi non potuisse, quorum plurimi, nisi desideriiis nostris succedat,

u) p. m. 7. seqq.

cedat actus, ea culpa carere fingunt. Hinc Trypho, qui cum Justino Martyre disputavit, Evangelii præcepta, quæ motuum horum obsequium præscribunt, observatu impossibilia pronuntiat. Et Josephus in Polybio Historico, qui ob sacrilegium tentatum Antiochum obiisse dixerat, illud reprehendit addens: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βαλεῦσάμενον εἴη ἢν τηρωρίας ἄξιον. Et plura Eruditi interpretes ad caput V. Matthæi congerunt, ubi servator idem jam suo ævo graviter taxat; Imprimis Grotius atque Leightfootius videri merentur. Sed hoc forte novum cæcitatatis in hac gente atque occalescentis malitiæ est argumentum.

§. 6. Cum vero in bonitate morali omnes attendendæ sint circumstantiæ & unius deviatio rem totam vitare possit; non immerito quoque in affectibus ad easdem respiciendum est. Sic Auctor attendendus est affectuum, annon forte ob relationes, quas ad alios habet, eosdem cohibere teneatur. Sic si violentus vitæ aggressor me invadat, meique interneccionem intendat, lege mei conservationem inculcante teneor, ira exardescere, omnique nisu mortem mihi intentatam antevertere. Sed si forte Princeps Patriæ personam tantisperseponat subditoque nihil tale merito gladio stricto minetur mortem, hæc circumstantia facit, ut huic triste hoc malum citra violentam propulsionem iracundamque resistantiam sit sufferendum. Nec minoris est illa circumstantia, quæ rei causam attendit. Sic DEUM amare res factu censetur optima; ast eum ideo diligere tantum, ut beneficia ex inde haurias, scelere simile est. Ubi a) Raschi voces notatu dignæ sunt: אומר להם הקב"ה אילו אלי קראתם תחלה הייתי עונה: אתכם עכשיו עשיתם עבודה זרה עקר ואותי טפילה לפיכך איני עונה. Irasci quandoque est præceptum, sed si hoc fiat ob leviusculam rationem, ob verbulum alteri imprudenter elapsum ob sortis jacturam hominisque in re, levi contradictionem; hæc morositas oppido est ridicula atque absurda. Sic de Salmasio ad Mer-

fennum

a) in Comment. ad Psal. VI. v. ult.

fennum scribit Sorbierius. b) Il est veritablement trop bilieux & trop cholérique. Il se pique de moindre mot & entre trop aisement en furie. On ne peut pas d'etre tant soit peu dissentent de ses opinions sans devenir un ignorant une beste, ou bien un fripon ou un mechant homme. Inde erant istæ digladiationes cum Lipsio, Scaligero, Sirmondo, Petavio, Heinsio, Spanheimio aliisque; inde quoque convitia, quibus sæpe viros in literis illustres Blondellum, Amyraldum atque Bochartum proscindebat. Idem de Petavio infensissimo Scaligeri hoste nobis Alexander Morus c) refert: Memini cum viveret, (Petavius) atque ad eum invisendi causa itaremus, ne nominari quidem Scaligerum ferre poterat, quin excandesceret, & stomachum in contumeliosas voces homine partibus addicto quam erudito magis dignas effunderet. Major erat Gassendi modestia, cui nunquam vox irati animi index teste d) Sorbierio excidisse creditur, egregiaque laus est, qua Theodoricum Sidonius Apollinaris e) mactat: Quibus horis tabula cordi est, tesseras colligit, rapide inspicit, sollicite volvit, joculariter compellat, patienter expectat, in bonis jactibus tacet, in malis videt, in neutro irascitur in utroque philosophatur. Modus optimis in rebus optimum, hic quoque accedat necesse est, ne quod quandoque licet, nimis frequenter atq; impetuose fiat. Taxatur inde merito Thomas Laud. f) Sacrorum Præsul Cantelb. qui teste Eduardo Hyde post Comes Clarendon dicto nil proferre poterat, quod non perturbatum animum, ebullientisque fervoris vehementiam spiraret atque redoleret. Imo quod Fontenelle de omnibus oblectamentis affirmat, illud imprimis de affectibus est tenendum, quod paludosis leatæque vestigia minus ferentibus locis sint similes, per quæ, nisi quis submergi velit, citra moras, suspensisque gressibus sit transeundum. Qui enim semel stateram transgreditur, studio

b) Colomes. Opera p. m. 215. c) Præf. in Idam Edit. Euseb. Scal. d) Colom. p. m. 214. e) Lib. I. Epist. II. f) In the history of the rebellion and civil wars in England begun in the year 1641. p. m. 161.



redeundi occulte aucto repetet suos motus, usque tandem consuetudinem difficulter mobilem contraxerit. Ultimo tandem loco temporis quoque non ultima erit habenda ratio, cum motus iustus licet, si intempestive ciatur, vitio minime careat. Egregia plane sunt Pythagoræorum verba, quæ ex jamblichō g) apponimus: *Ἔιναι, λέγασσι, ποιήλην τίνα καὶ πολυειδῆ τὴν τῷ καιρῷ χρεῖαν καὶ γὰρ τῶν ὀργιζομένων τε καὶ θυμωμένων τὰς μὲν εὐκαιρῶς, τῷ το ποιῆν, τὰς δ' ἀκαιρῶς καὶ πάλιν τῶν ὀρεγομένων τε καὶ ἐπιθυμῶν καὶ ὀρμῶντων ἐφ' ὅτι δὴ ποιεῖ τοῖς μὲν ἀκολαθεῖν καὶ τῶν δὲ ἀκαιρῶν. Τὸν αὐτὸν δὲ εἶναι λόγον καὶ περὶ τῶν ἄλλων πάθων τε καὶ πράξεων καὶ διαθέσεων καὶ ἐντεύξεων.*

§. 7. Hæc dum de secundo gradu tenemus omnia ferme ad tertium quoque accommodari possunt, per quem illam ὀρμὴν intelligimus, qua animus torrentis instar in res effunditur, quas suo consensu appetendas esse comprobavit. Circa hujus gradus moralitatem iterum in partes scinduntur Eruditi, quos si distincte procedamus, facile poterimus conciliare. Scilicet nonnulli illum sibi imaginantur animi impetum concitatissimum, qui ad furoris similitudinem proxime accedit, ubi mens excusis rationis gubernaculis, quo trudat libido, ruat, omneque froenum non mordeat, sed plane abjiciat. Hunc si quis intelligat, tantum abest, ut quis ferinum hunc atque distractam mentis statum nec lacrymis satis deplorandum probet, ut potius eum satis ejurari atque expelli non posse, largiatur. Ast si hunc dicamus plenam tantum fervidamque in Objectum legitimum mentis tendentiam, qua extraordinarius spirituum motus ita concitatur, ut tamen consilio semper locus sit, nemo forte eum simpliciter damnare conabitur, qui recordetur ad acriorem boni prosecutionum eos in plantatos nobis esse mentique proficuum esse, ut acrius quandoque exardescat, imprimis si mala sint amolienda. Sic erga adversarium in præsentissimum vitæ discrimen nos adducentem cur non liceat fervidiores motus concipere, & insultus ardentem retorquere

E jubes

g) Jambl. de vit. Pythag. §. 151.

jubet hoc lex de conservatione sui ipsius. Quamvis fateamur, parcio- rem esse occasionem, quæ talem nobis irascendi necessita- tem imponit, consultiusque esse, ut illi, qui affectibus præpediti dif- ficiliorem sibi ad saniora reditum vident, in se, quantum fieri licet, iis plane abstineant. Habent enim affectus nescio quam dulcedi- nem, animos irretientem atque effœminantem, cujus gustui si se- mel se quispiam adsueverit, redeundi semper voluntatem retine- bit. Hinc irato, ira, æmulanti æmulatio impense placet, tacite- que mens justificat easdem. Et hæc Maximus Tyrius h) inten- dit dicens *εάν εν ηδοναίς όρως υπερβής και προέλθης περιω τέρω, διδως ταίς ηδοναίς δρόμον άπαισον και τας άρετάς άποτειχίζει.* Con- fer. quoque Jamblichio i) dicta & remedia præscribit Simon Pari- cius Anglorum Episcopus. k)

§. 8. Sententia tamen, quam hæctenus tuemur, refragan- tur Viri, quos Porticus olim tulit, fere omnes, qui affectus in se malos adeoque eliminandos dictitabant. Sequitur hos Lipsius, qui quem admodum Scholastici Aristolem, Stoicos suos, quoad pos- set, cum sacra nostra religione in gratiam reducere annixus est. Verum eo ipso probavit, quod aliis l) observatum est, eos qui sic animati Gentilium lectionem aggrediuntur, totos se impen- dere veritati non posse. Sequitur & Le Grand m) Cartesianus non incelebris; aliique imo quod mireris, non viri tantum, qui ad Catonianæ severitatis Majestatem adspirant, sed & Barbari fe- rinoque more vivere soliti his se jungunt. Sic enim de Brach- manibus ex Jesuitarum ordine Carolus de Gobeau n) commemo- rat, quod doceant que le sage ne doit avoir aucune passion. De sorte qu'il doit continuellement, s'appliquer a ne vouloir rien & a bannir si loin de son Esprit toute l'Idée de Vertu. Quod posterius Molines somniis, ut à Bælio o) recensentur, proxime

acce-  
h) Dissert. 34. p. m. 352. edit. Dav. i) §. 206. de Vit. P. k) in libello. Hearts ease or a remedy against all troubles. l) vid. B. Thomas. in Schediasm. Hist. §. 31. p. m. 32. m) vid. l'homme sans passion. n) l'histoire de l'edit, de l'Empereur de la chine. o) Diction. Critiq. lit. I.

accedit. Sed nec defuerunt, qui crassis his erroribus nigrum præfigerent Theta, ex Patribus Lactantius p) atque Augustinus imprimis: ex recentioribus q) Joh. Bartholdum Niemaierum allegabo qui duabus spissis dissertationibus hoc argumentum exhaust. Alii vero conciliatorum partibus functi, hosque cum cæteris Philosophis in gratiam reducere annexi sunt, quibus Rappoldus Gassendus, Lipsius atque Buddeus utique annumerari merentur.

§. 9. Paucisquomodo utraque pars causam suam agat, videbimus, Auctorum tamen allegatione ob chartæ angustiam omissa, quod cum Tua L. B. venia fiat. Sic autem Stoici. Affectus sunt prava judicia, quæ Intemperantiæ suam debent originem, quæ hominem inflammant, incitant, conturbant. Et quid quæso paci hominis magis bellum indicit? nil turbulentius, nil fœdus nil periculosius cogitari potest. Neque quisquam se hoc naturæ debere putet. Illud enim quod ex nostrorum ad versariorum mente indifferens est, quod fieri potest nimium, quod varium adeo est, num naturæ posset dici donum? Morbi sunt, num temperare num eradicare est consultius? Quis velit vel mediocriter esse morbidus? Dicis cultum esse adhibendum, ne si relinquuntur incompositi & ut plantæ sativæ atque bonæ, negligente agricola efferantur petulantesque fiant? Sed equo frœnum mordenti quis imperabit? quis his difficultatibus non succumbet? Tutius est hoc mare non ingredi, quam ingressum fœde deserere Agedum! fugiamus hos motus extorres, pravos, obstinatos, exuamus istam *ὑλικὴν ἀναλογίαν*, re vocemus à corporis *μυασμῶ* animam. Diis accedendum, qui his soluti vinculis infra se posita tranquille circumspiciunt. Egrediamur hanc humilem atque humanam sortem! Sic Stoicorum fastus inbecillitatis suæ immemor prodigiose exultat, uti fœsius apud Senecam, Arrianum, Gellium, Simplicium atque Ciceronem legi potest. Ast hæc operosa non egent confutatione. Falsum enim est, hos af-

q) Helmst. 1679. habit.

fectus, si inter rationis terminos se contineant, omnem evertere mentis tranquillitatem. Morbos eos esse, supponitur, & difficultates, quibus circumdata est eorum moderatio, non affectibus vitium addunt. Corpus mentis ergastulum dicere impium est, cum illud ita sit fovendum ut animi ferviat ministeriis. Et tandem sublimitas illa fastuosa, quæ vertice vult sidera tangere, terram sapit, ambitionisque debetur stimulis. Non decet homines DEI involare jura, quod temerarium est Phaethontisque ruina dignum. Nec eorum exceptiones tanti sunt, ut quempiam valde morari possent.

§. 10. Illi tamen qui rem propius inspexerunt, in tota hac lite quæ olim tanta animorum agitatione ferbuit, nil nisi cæcos ictus deprehendere sibi risi sunt, quibus pugnantem se quidem peterent, non vero ferirent. Et hi paucis adhuc sunt audiendi: Gassendus r) atque B. Rappoldus s) conciliationum semina in vocibus, evellere, extirpare aliisque quærunt putantque illis non omnimodam affectuum eradicationem denotari, sed ejusmodi moderationem, quæ ob severitatem disciplinæ, quam quilibet hic observare tenetur, durior paululum vocabulo fuisset exprimenda. Sed his celeb. Buddeus t) opponit partim voces toties repetitas, ut in alium sensum vix possint deflecti, partim alia loca, in quibus, quæ menti sederet sententia, clarius eloquerentur. Hic itaque cum aliis aliam viam ingreditur dicitque Stoicos voce affectus plerumque denotare *ὄρην* quod cæteri non bene animadvertissent adeoque de voce tot clamoribus inter illos esset pugnatum. Et hinc deducit, quod Stoici affirmare potuerint, affectus esse voluntarios, cum *ῥωπήν* illam ab affectuum classe exemptissent & impetuosam voluntatis tantum tendentiam in bonum illis significassent. Quemadmodum quoque inde elucescere credit quod Stoici eradicandos esse affectus clamitantes, nil re-

qui-

r) Comment. in Phil. Epic. f. m. 1015. s) in Comment. in Hor. p. m. 1224. t) in quart. dissert. de Stoic. Erroribus Hist. Phil. infert. p. m. 131. conf. & Lips. in Introd. ad Phil. Stoicam p. m. 156.

quisiverint, quod prætergressum sit humanas vires. Aristotelicos vero propensionem miscentes affectui cum in conceptibus non convenerint cum iisdem, neque in ipsa doctrina consentire potuisse. Quicquid vero hujus sit, unusquisque, qui vel obiter hanc controversiam inspexit, sveta verborum contentione utrinque fuisse peccatum & utramque partem post longiores circuitus in eandem viam rediisse animadvertet. Interim tamen Stoicis maxima ejus rei culpa videtur attribuenda. Amabant isti spinosum dicendi genus, quod illi qui eorum scripta legit, ibique differentias inter *προηγμένα* & *ἀποπροηγμένα* inter gaudium atque lætitiā &c. perpendit, facile patebit. Hoc vero utrum Sapiente dignum sit, dubitari omnino potest. Nec leve fuit, quod Stoicæ generositati obortum fuit, præjudicium, quod eam severitatem, quam verbis crepabant, non idem factis exprimerent, sæpiusque divini sui animi deliquium paterentur. Voluntaria enim eorum mors, quæ fracti atque depressi animi signum est, fastuoso hoc super cilio videtur indigna. Taceo alia exempla, quibus Stoicos suis succumbere desideris sæpius confirmabatur. Neque indolentiæ illius, quam efflagitabant, ullum afferri posse exemplum credo, quamvis de Pythagora tale quid Jamblichus referat. Accurate tamen Cl. Kusterus observavit fraudem subesse, & Jamblichum, hostem Christiano nomini infensum omniâ ejus facta exaggerare, ut haberet, quem Servatoris nostri miraculis opponeret; Quod judicium etiam de Apollonio Thyasæo valet, quem Philostratus miris ideo laudibus obruit: quemadmodum adversus Hieroclem Christum Apollonio comparantem integro libro evincitur qui in recenti Phil. Editione comparet, quam Vir summe Reverendus Dn. D. Olearius, Patronus atque Præceptor noster summe Venerandus nuper adornavit. Et cæteris Molinis u) somniis est adscribendum, quando vitam suam internam jactans eam ad omnem affectus extirpationem facere dicit: seu ut Italica verba habent; fa morire tutte le passioni in maniere che non si

E 3

fente

u) in Decreto quod Innocentius XI, contra eum evulgavit.

sente piu niente, niente, niente ne si trova alcuna inquietudine come un corpo morto nel anima si lascia più trasportare.

§. 11. Tandem quoque observandum est, quosdam dari affectus, qui in se sunt mali & nunquam etiam optimis vestiti circumstantiis boni evadere vel negative saltem possunt. Tales sunt, Invidia, ἐπιχαιρεκακία, ζηλοστυπία, quam Cicero obtrectationem vertit, & juxta nonnullos quoque æmulatio. Hoc tamen non ita est accipiendum, ac si motus isti antecedenter mali essent ad legem, suamque malignitatem in leges transfunderent, veluti Scholastici argutari solent, sed ideo semper dicuntur mali, quia ipsum nomen motus ad illegitimum objectum determinatos indicat. Sic ἐπιχαιρεκακία non ideo vitiosa est, quia est voluntatis in bonum motus, sed quia tendit in bonum apparens atque à lege vetitum. Quod vero huc trahamus quoque invidiam, in eo refragantem nobis habemus Cartesium Virum acutissimum, qui quandam invidiam vitio carere asserit. vv) Sed audiamus ipsius Viri argumenta. Invidiam dicit Zelum excusabilem, si ideo in nobis excitaretur, quod justitia, quam naturaliter quisque diligeret, in distributione bonorum non observaretur, quam ille fortunæ tribuit. Hic quidem non suspicamur, eum in Gentili sensu fortunæ usum fuisse vocabulo, cum istam superstitionem perpetuis damnandam tenebris ab orco non facile revocet Christianus sed credimus eum, ut alias fieri solet, ea notare felicem rerum atque circumstantiarum complexum, quem si quis obtineat, felix dicitur. Ast cum harum directio à summo Numine pendeat, ille non videtur excusate peccare, qui quos Numen provide moderatur, eventus nefario ausu taxare, eoque ineptam Momi personam reddere cupit. Sed, inquit, bonum est ejus naturæ, ut si alteri obtingat, gravi sæpe damno potest partare viam: ast cum lividis hic nil proficiatur oculis, divino res erit permittenda arbitrio, eventusque à nobis curiosis præoccupari conjecturis non debet. Verum enim est illud: ἀγαθὸν δὲ ἀδελφῶν περὶ ἀδελφῶν ἐγγί-

νεύει

w) de Passiv. p. m. 105.

*νεῖμα φθόνοσ* quod Eusebius adversus Hieroclem Gentilem in concessis supponebat. De *ἐπιχαιρηναιία* nullum est dubium, cujus sceditatem Dn. Ursinus peculiari tractatu delineavit. Nos hic eam saltem movebimus questionem: an illud quoque *ἐπι χαιρηναιία* sit annumerandum, quod quoties hunc vel illum gladio incedentem vel alibi ex imprudentia labi videmus cachinno solvamus. Ratio dubitandi hæc esse videtur quod si lapsus nullo graviore damno læsus sit, hoc citra ultiores in mente motus prætereat; sin minus, eique malum quoddam obtigerit, confestim nos illius, quem antea ridebamus misereri incipiat. Videntur itaque hæc mechanica fieri ratione, quibus cum voluntate nihil sit commercii. Accedit quod etiam emendatæ mentis hominibus tale quid obtingat, & alias motus crudeles hominibus non, sint naturales qui, quod ipsis evenire potest, malum tacito quodam proprii amoris contagio, etiam in aliis dolent, sicut eleganter Lockius x) demonstrat, omnesque ad crudelitatem spectantes propensiones ab exemplis esse aliorumque conversatione sumi confirmat. Vereor tamen ne quoque hic quædam se ingerat malitia, ideo quod isti risus nobis obrepunt, quando alter ex imprudentia noxam incurrit, alias non idem. Videntur itaque ex tacita ambitione derivandi, cum, quod alter admittit, nos evitare, cautius que nos posse mercari nobis persuadeamus. Aliter paulo pronuntiandum est de risu, qui obrepit, cum quis funambulorum aspiciat spectacula & homuncionum istorum lapsus derideat. Hic enim peccatur manifeste, venenumque crudelitatis in alienis se pascentis damnis, occulte imbibitur. Quemadmodum & barbaris populis ludi ejusmodi fuerunt frequentati, qui ludentes in vitæ periculum adducebant. Quo pertinet illud *ἀγχόνην* ludere y) apud Athenæum ubi ludentibus non satis providis colum frangebatur & *οἱ ἄλλοι γελῶσι παιδιὰν ἔχοντες τὸν ἐκείνου θάλατον.* Immo improbati sunt etiam, sapientioribus Græcorum illa

tru-

x) Traite sur l'education des Enfans, §. 119. y) lib. IV. p. m. 55.

trucu'entorum ludorum genera, de quibus Plato 2) & ejus Com-  
mentator Ægidius Menagius videri possunt. His ἐπιχαιρῶναιος  
annumerandi & illi, qui in brutorum morte miras quærent de-  
licias. Quamvis enim ista moraliter lædi nequeant, affectus ta-  
men noster, qui exinde exoritur multum ex maligno trahit. Quis  
enim brutum *questuve cruentum atque imploranti simile*, citre  
necessitatem cruciaret? nisi ferro pectus contra humanitatis sen-  
sum obstinasset. Et observatum est multis mac'tationem istam  
bestiarum crudelem desinere tandem in cœdes hominum.

Jam parabamus specialem addere partem, immo parave-  
ramus; sed prolixitas materiæ, multas controversias de amore pu-  
ro, amore rationis aliisque complectentis hæc jussit reservari po-  
steriori. Tu vero B. L. si quædam vel plane omissa vel levi sal-  
tem brachio delibata deprehendas & ingenii imbecillitati & ma-  
teriæ diffusæ satis amplitudini adscribas. Hunc omni ratione  
demereri studebimus favorem, atque ad quosdam in Philologia  
sacra atque profana inde instigabimur conatus. Deo  
vero sit laus atque gloria!

2) lib. I. de legibus §. 103.



Coll. diss. A. 65, nusc. 26